

Andreas Helvigius Joachim Stresovius

Theses Ex IV. Loco Margaritae Theolog. De Creatione: Quas In Gymnasio Berlinensi ... ad d. 7. & 8. Ianuarii ...

Berlini: Rungius, 1614

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757588441>

Druck Freier  Zugang





X. XVI. 15.

838

Fa-3688¹⁻⁶ (R)

Universitäts-
Bibliothek
Rostock



THESES EX IV. LOCO MAR-
GARITAE THEOLOG.

DE CREATIONE:

In Gymnasio BERLINENSI ad piam
συζήτησιν, Logici ac Theologici studij excolendi ergo, add.
7. & 8. Januarii, cum sequentib. 4 & 5. diebus, dum se
opponentum finiat ordo, horis matutinis

Proposita à

M. ANDREA HELVIGIO P. L. C.
RECTORE.

Respondentis partes pro virili sua tuente

IOACHIMO STRESOVIO Rugiano Pomer.

S. PAULUS in Actis Apostol. c. 17. v. 24. usq. ad 29.

Ὁ Θεὸς ὁ ποιήσας τὸν κόσμον καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ· ἔτι θρανῶν
ἔ γῆς κύριος ὑπάρχων, ὅτι ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ, οὐδὲ ὑπὸ
χειρῶν ἀνθρώπων θεραπεύεται, προσδεόμενος πινος, αὐτὸς διδὼς πᾶσι
ζῶν ἢ πνολῷ κτ' πάντα. ἐποίησεν ἐξ ἐνὸς ἀμμάτου πᾶν ἔθνος ἀν-
θρώπων, κατοικεῖν ὅτι πᾶν τὸ πρῶτον τὸ γῆς, ὁρίσας ὁρίσεται γένεας
καιρῶν, καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν, καὶ λοιπά.

προνοήσων.

Da tV ChrIste noVV's CVrrat feLICItter annVs,
DeqVe tVa tVrba noXla CVnCta fVga.

BERLINI TYPIS GEORGII RUNGII. Anno 1614.

NOBILISSIMO AC STRE
NUISSIMO VIRO DOMINO CHRISTOPHORO
DE LANCKEN, HÆREDITARIO IN LANCKEN

*Illustrissimi Pomeranorum Ducis ac Principis Dn. PHI-
LIPPI JULII, Consiliiario Provinciali, & Rugiæ
Præfecto dignissimo,*

*Domino Mecanati, Fawtori ac Evergetæ suo omni ob-
servantia cultu semper prosequendo.*

Consuetudo pia est seros deducta per annos
Ad nos, Mecænas nobilitate potens,
Ut mittant homines strenas ineunte sub anni
Auspicio, optantes prospera quæq; sibi.
Atq; Creatori summo stellantis olympi
Gramineique soli, fluctisonique sali,
Dignas persolvant grates, tutela quod ipsis
Extiterit semper, præsidiumque potens.
Hinc mea Musa loco strenæ tibi mittere gaudet
Hæcæ Theses, Phœbi ô Phœbiporumque decus.
Quas hilari accipias vultu, succurrere egenis
Qui nosti, & studiis subsidium esto meis,
Interim at omnipotens Numen quod cuncta gubernat,
Teque, tuosque (precor) protegat usque. Vale.

humiliter dat

dicat

consecrat

*Ioachimus Stresovius ex Vitolvia
Rugianus.*



DE CREATIONE ET PROVIDENTIA.

Thesis I.



MNIUM, quæ in universâ rerum naturâ sunt, principium
& causa prima DEUS est.

II.

Neg. enim vel à sese quicquam, nec ab aeterno esse potest; præ-
ter ipsum solum DEUM, ex quo, & per quem, & in quo sunt & ac-
quiescunt omnia.

III.

Est autem actio DEI alia ad intra, alia ad extra.

IIII.

Actio interna DEI triplex est, pro trinâ personarum differentiâ:
Generare, Gigni, Procedere; quarum prima DEI Patris est, altera
Filii, tertia Spiritus Sancti. de quibus in 2. Disput. dictum.

V.

Actiones seu opera DEI ad extra, etsi juxta regulam D. Au-
gustini sunt indivisa, & tribus personis S. DEITATIS communia: ta-
men pro personarum proprietatibus, alia alii personæ xcā ī excluduntur
quandam, ob modum revelationis, attribuuntur.

VI.

Hinc Creatio vindicatur DEO Patri, Redemptio Filio, Sancti-
ficatio verò Spiritui Sancto.

VII.

Interim verò quemadmodum in superiori Disput. diximus, ad
Redemptionis opus singulas in Sacrosanctâ Triade personas suam qua-
si quandam contulisse symbolam: ita & opus Creationis non sic uni
tribuitur Patri, ut personæ excludantur ceteræ.

VIII.

Nam DEUS Pater unâ cum Filio & Spiritu S. Mundum & res
omnes condidit & conservat adhuc: Pater videlicet per Filium, &
A 2 Filius

Filius in Patre, virtutem atq; vigorem sancto sufficiente Spiritu.

IX.

Neq; verò temerè, sed certâ ratione ac sine per Divinam Providentiam omnia extiterunt. Nam aeternum illud ENS entium, in se beatissimum perfectissimumq;, quum Bonitatis ac sapientia suæ fontes veluti derivare foras, manifestandâ suâ gloriâ vellet, creandos suscepit & Angelos & homines, utrosq; ipsius Conditoris sui representaturos imaginem.

X.

Gemino ergo hoc jam opere constituto, suas utriq; destinavit veluti fabricas & domicilia: Angelis quidem immensâ aquarum illa superiorum tentoria caelos; Homimibus verò interiores terrarum inter undas efflorentium sedes, vasto aëre conclusas, clementer assignavit.

XI.

Materiam rerum omnium si quæras, nulla quidem ante rlvb $\Delta\mu\chi\epsilon\iota\epsilon\eta\omega\upsilon$ & $\delta\eta\mu\sigma\epsilon\gamma\omega\upsilon\omega\tau$ & $\Theta\epsilon\acute{\omega}$ extitit: sed volente DEO, dictum factum, rudis illa indigestaq; rerum moles exorta, mox in admirandum hoc cæli terraq; hystema, quem Mundum dicimus, excrevit.

XII.

Forma rerum factarum est pulcherrimus earundem ordo, quo nihil cogitari aut fieri potest perfectius. Unde Græcis $\nu\omicron\sigma\alpha\mu\epsilon\tau\epsilon\tau\alpha$ dictus est, i. ornatus, qui maxime in eleganti variarum rerum ordine ac vicissitudine spectari solet. Quin & Latini Mundum à mundicie & elegantia dixerunt.

XIII.

Finis Divinæ operationis est (ut Thesi IX. ostensum) ipsius DEI Creatoris gloria, & grata sui fama, rebus omnibus variè adpersa communicataq;.

XIV.

Quo ordine autem & successu partium Mundus fuerit compositus, id quum divinus Moses disertè commemorat, tum Ethnicus ille Poëta Naso ex Patrum (opimior) traditionibus aut monumentis odoratus,

ratus, ad consimilem planè modum versibus elegantissimis quasi para-
phrasten agens, exequitur.

XV.

Quando deniq; Mundus hic Divinà arte sit effectus, ex sacris
litteris vel solis constare potest. Etenim ut à communi & usitato nobis
de D. Lutheri & Philippi sententià calculo non temerè discedendum
(qui à Mundi exordio ad N. C. numerant annos 3962.) ita nec sine
causà, vel cuiusvis alterius, vel etiam Autoris nostri annos 3956.
numerantis opinionem esse recipiendam puto: quin potius indubita-
tam S. Scripturæ fidem esse amplectendam existinemus, quæ docet à
C. M. & amissà generi humano salute, ad ejus usq; reparationem
per salutarem Filii DEI incarnationem ac lætissimam nativitatem
annos abisse ter mille, octingentos, septuaginta octo.

XVI.

Nam ante Diluvium exacti fuerunt anni 1656. Genes. 5. Hinc
usq; ad primam promissionem Abrahæ factam, & profectionem ejus
à Haran, anni abierunt 367. Genes. 11. & 12.

XVII.

Inde ad exitum filiorum Israël de Ægypto, effluxerunt anni
430. ut probatur ex Gen. 15. v. 14. & 16. Exod. 12. v. 40. Gal. 3. v. 17.

XVIII.

Porrò ad foundationem templi Salomonis sunt anni 480. 1. Reg. 6.
Hinc rursus ad transportationem Jechoniæ abductionemq; in exilium
Babylonicum, ex historià Regum Juda in Chronicis, colliguntur anni
418. Exilii terminus fuit annus septuagesimus, ut auctor est Prophe-
ta Jeremias 25. v. 11. & 12.

XIX.

Hic statim succurrunt 70 Hebdomades annicula, Danielis c. 9.
v. 24. & c. annos efficientes 490, qui extenduntur usq; ad illa Novi
Testamenti novissima, quibus à CHRISTO omnia consummata sunt.
Detractis annis 33, quos in hac mortalitate peregit Salvator, re-

stant 457. Qui numeri omnes in unam summam coacti, conscribunt
annos prædictos 3878.

XX.

His jam si aggregentur anni, quos inde ab humana Filii Dei
nativitate transisse Catholica CHRISTI Ecclesia hodie statuit (1614)
compleantur in univ. sum anni 5492. Vulgò numerant annos 5576.

XXI.

Quo verò anni tempore, quæ cæli constitutione, in quibus pri-
mum Sole versante signis, dies Orbi illuxerit, Mathematicis sanè (si
quid tamen eâ de re certi vel divinare cuiquam, vel rationibus asse-
qui licet) relinquimus.

XXII.

Partes autem Mundi singulas percurrere, earumq; naturas
indagare, non hujus est fori, nec instituti; sed ad Physicam & alias
cognatas artes ac scientias pertinet. Angelorum saltem & homi-
num (quippe qui in universo creaturarum genere principem locum
obtinent) breviter consideranda est essentia & conditio.

XXIII.

Angelus est substantia spiritualis, mente perspicacissimâ ani-
mòq; libero Divinitus prædita, ad obeunda DEI, ad ipsius gloriam &
Ecclesiæ salutem, ministeria.

XXIV.

Estq; Spirituum genus duplex: unum bonorum, alterum malo-
rum. Nam cum quidem primum verè sapientes, casti, boniq; essent
à DEO ad unum omnes conditi; postea tamen pleriq; concessa sibi ar-
bitrii libertate perfidè abusi, atq; à DEO aversi, ex bonis mali, è castis
immundi, ex verè sapientibus insipientes ac versuti evaserunt, avto-
res primi omnium in Mundo malorum. Unde Satana, Diaboli &
Dæmonia & Cacodæmones vocantur.

XXV.

Boni autem Angeli sunt Spiritus in suâ integritate perstantes,
atq;

atq; ita jam confirmati, ut labi aut deficere nunquam possint, perpetuis Divina majestatis laudibus destinati, & alma voluntatis ejus imperiis ac nutibus obsequentissimi.

XXVI.

Suntq; distincti utrorumq; gradus ac vices: de quibus alibi.

XXVII.

HOMO est corpus animatum, sensu ac ratione praeeditum: in quo olim lucebat imago DEI; nunc exigua vix etiam scintilla, & avitarum semina virtutum sunt reliqua: quae tamen & ipsa plane intermoriuntur, nisi Divina suscitentur gratia, & assiduo excolantur studio.

XXVIII.

Primum hominem ex luto seu gleba rubentis terrae finxit manus omnipotentis IOVÆ, ac vitæ rationalis spiraculum per nares ei iniecit: unde mentis animiq; harmonia & unio in isto veluti regno corporis longè pulcherrima extitit.

XXIX.

Hunc unâ, cum illâ viventium matre omnium Hevâ, è viri dormientis latere eductâ, in Paradisum amœnissimum collocavit DEUS, & certâ mandati custodiendâ lege circumscripsit. Quam ubi Serpentis stygii impulsu violassent, in iræ DEI aeternaq; mortis reatum inciderunt miseri homines.

XXX.

Sed per gratuitam Benedicti illius Seminis promissionem recreati idem primi nostri Parentes, culpa veniam consecuti sunt ita, ut temporalem corporis mortem tamen effugeret nemo.

XXXI.

Hinc tot labores & arumnae, tot morbi, malorumq; genera penè infinita, in universam Adâ posteritatem redundarunt.

XXXII.

Qua qua ratione, quove discrimine Cain atq; Habel (hic pius, impius ille) acceperint tulerintq;, alius erit dicendi locus in Ecclesiâ.

A 4

Huc

Huc verò propriè pertinet, ut, quæ cum rerum conditionis conserva-
tionisq̄, tum desertionis ac destructionis (puta Angelorum & ho-
minum) causa sit, paucis dicamus.

XXXIII.

Hoc ergo ante omnia tenendum est, DEUM non nisi rerum bo-
narum esse propriam causam, procreantem & conservantem; quæ
in abstracto dicitur Providentia DEI, Græcis πρὸνοια, ἢ εἰς τὰ ὄντα ἐπι-
μέλεια (desinente Damasceno lib. 2. Orthod. fidei c. 29.) id est,
cura DEI circa res omnes ornandas, tuendas & conservandas sive
gubernandas.

XXXIV.

Estq̄ duplex Providentia: Una Beneplaciti, καὶ εὐδοκίας, quæ
DEUS pro voluntate suâ optimâ rebus annuit in æternam Divini sui
vominis gloriam ultrò cedentibus. Eaq̄, vel juxta naturam & cau-
sarium secundarum ordinem administratur; vel præter & contra
naturam: idq̄, tum maximè, quum Ecclesia DEI necessitas ita postu-
lat.

XXXV.

Alterâ Dispensationis sive Permissionis, καὶ ἐπιτρέψεως, quæ
pro admirandæ suæ consilio Sapientiæ mala quandoq̄, permittit DE-
US, ad publicam privatamve huius vel illius pluriùmve utilitatem.

XXXVI.

Priori debentur ea, quæ liquido bona sunt: quæ alia primùm er-
rant ipsius Conditoris judicio omnia. Posteriori tribuenda sunt ma-
la, sive pœna sive culpa; quæ neq̄, nesciente, neq̄, procreante tamen
DEO aut provocante, sed permittente, & ad bonum dirigente fiunt.

XXXVII.

Propria igitur causa lapsus defectionisq̄, sive Angelorum sive
hominum, ac consequentis divinitus destructionis, est detestandus il-
le & ἀσεβείας seu liberi arbitrii abusus, unde concepta primùm na-
taq̄, pravitas & libido delinquendi per ὑπὸνείων quandam, in hor-
renda

renda impietatis ac contumacia nervum erupit tandem, in isto πονηρῶς
εὐας coryphæo & antesignano Lucifero Φλογοφάτω.

XXXVIII.

Hic enim ambitione ac superbiâ elatus; ubi honorem Filio DEI
soli debitum affectasset; unâ cum ingente conspirantium ac malè con-
tentorum Spirituum manu de cælo cecidit: ac paulo post hominis,
tanquam in damni illius cælestis compensationem conditi felicitati
invidens, eundem impostorio svasu ad defectionem sollicitavit, atq;
ita peccati virus teterrimum in genus humanum derivavit.

XXXIX.

Neg. tollit Providentiam derelictio, quæ & ipsa duplex: Prior
est ἀπορροσινὴ i. reprobatoria; quâ Satanam cum suis complicibus
angelastris suâ sponte ruentem perpetuò abjecit; nec non similiter
homines eos, quî repudiatis veniæ ac gratiæ consequenda mediis, in
incredulitate suâ & inaspicatis tenebrarum operibus detinentur,
abjicit.

XL.

Alterâ est πειθαγωγία i. e. correctoria, quâ DEUS suos aliquan-
do gravius castigans; eos ad tempus deseruisse videtur; postea ta-
men erigit, ac patrio dignatur amore vicissim. Sed de his & aliis co-
gnatis argumentis alibi.

XLI.

Rejicimus ergo primùm Aristotelis, aliorumq; Philosophorum
de Mundi aternitate opinionem. Nam Mundus ut certum initium
cepit, ita finem quoq; sortietur olim per diem novissimum: quoniam
& Ap. Petrus 2. Ep. c. 3. cælos arsueros, elementa per æstum liqui-
tura, solum omne cum universis operibus conflagraturum prædixit;
& Pœta ex antiquâ Patrum sine dubio memoriâ commemorat, ad-
fore tempus,

Quo mare, quo tellus, correptaq; regia cœli
Ardeat, & Mundi moles operosa laboret.

XLII.

Deinde Manichæorum quoq; deliria, & Epicuræorum insani-

A 5

am,

am, omnem DEI providentiam negantium contemnimus: ac non modo cum sacris literis, sed etiam cum Cicerone nostro rectè concludimus, qui lib. 1. de natura Deorum præclare ac divinitus ita scriptum reliquit: In mundo DEUS est aliquis, qui regit, qui gubernat; qui cursum astrorum, qui mutationes temporum, qui rerum vicissitudines ordinesq; conservat, qui terras & maria contemplando hominum commoda vitasq; tuetur; imò (ut lib. 2. de leg. addit) qui, qualis quisq; sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religionem, intueatur, piorumq; & impiorum habeat rationem. Cui sit laus & gloria in secula, Amen.

PROBLEMA.

1. Utrùm Aristoteles tanquam Philosophus rectè senserit, Mundum simpliciter esse æternum? Negabitur.
2. An à naturâ constare possit, Mundum esse quondam à DEO conditum? Affirm.
3. Utrùm eodem modo accipiendum sit Principium, de quo loquitur Moses, & de quo Johannes? Negab.
4. An Nihilum propriè dici possit materia rerum creatarum? Negab.
5. Utrùm præstantior dici possit fœmina viro, quodè præstantiori condita sit materiâ? Neg.
6. Equè sit imago DEI fœmina atq; Vir? Affir. cum distinctione gradûs.
7. Primus Adam & Vetus Adam, sintnè idem? Neg.
8. Numquid æquipolleant Imago DEI & Novus homo? R. per distinctionem Imaginis DEI.
9. An prorsus interierit in homine Imago DEI? Negatur.
10. Possitnè homo dici Imago Satanæ? Aff. sed cum distinctione hominis non renati à renato.
11. Adamus à DEO deficiens, utrùm hæreticus dici rectius possit,

possit, an verò schismaticus? Hoc affirmab. Quid Satanas? Utrumq;. Quid Cain? Item.

12. Utrum verus ac merus sive naturalis fuerit Serpens, qui primos decepit homines? ut Calvinus sentit. Neg.

13. Labor utrum sit malum, an bonum quid? Hoc aff.

14. Astra regantné homines? Negatur, simpliciter.

15. Utrum Sermo sive loquendi facultas homini sit naturalis? Affir.

16. Ullané certa lingua sit homini à naturâ cognita? Negatur.

17. Quali lingvâ sint usi primi homines? R. Hebræâ.

18. Utrum Homo verè dictus sit ab humo? ut antiquitùs & vulgò existimatur: an vero potius ab ὁμαῖς vel ὁμῆ i. e. simùl, (eò quòd πολυκὸν φύσιν ὁ ἀνθρώπος) ut Quintiliano, Erasmo, Scaligero utriq;, & fortè aliis pluribus visum: inter quos Fabius noster l. 1. c. 9. veluti deridendam propinat illam veterum opinionem, qua hominem appellatum esse crediderint eò quòd esset humo natus: quasi verò (inquit) non omnibus animalibus eadem origo, aut illi primi mortales antè nomen imposuerint terræ, quam sibi: Et Jul. Scaliger somnium dicere non veretur, lib. 1. de causis L. Ling. c. 20. At tamen hanc ut veram & genuinam tuebimur etymologiam, cum auctoritate Divinâ juxtâ & humanâ, tum ipsius vocis evidentia

□□□ & origine apertâ, quæ est ex Heb. חַי חַיִּים, quod surruffum furvum ac nigricans quid signat: unde & Humus est & Homo divinâ providentiâ dictus, itidem ut ab חַי אָדָם, adamah Adam vocatus est.

19. An catalogus annorum Mundi usq; ad N. C. ex solis Bibliis contexti possit? Affir.

20. An secundum literam accipiendus sit locus iste Exodi 12.


di 12. v. 40. h. e. an filii Israël, qui cum Patre Jacobo in
Ægyptum profecti sunt, integros 430. annos ibi exege-
rint & Negab,


21. Deceâtne hominem Christianum hanc in ore semper
habere sententiam : *Fato omnia fieri ? Negatur*, adhibi-
tâ distinctione vocis ὁμωνύμω.


PLATO lib. 2. de Repub.

Κακῶν δ' αἴτιον Φάνει Θεόν πνι γίγνεσθαι, ἀγαθὸν ὄντα, διαμα-
χητέον παντὶ τρόπῳ, μήτε ἰνα ἑαυτὰ λέγειν ἐν τῇ αὐτῇ πόλει, εἰ μέλλει εὐ-
νομήσεσθαι, μήτε ἰνα ἀκρίειν, μήτε νεώτερον, μήτε πρεσβύτερον, μήτε ἐν
μέτρῳ, μήτ' ἀνευ μέτρου μυθολογοῦντα, ὡς εἴθ' ὅσα ἀντὰ λεγόμενα,
εἰ λέγοιτο, ἔτε ζύμφορα ἡμῖν, ἔτε ζύμφωνα αὐτὰ αὐτοῖς.











possit, an verò schismaticus? Hoc affi-
nas? Utrumq;. Quid Cain? Item.

12. Utrum verus ac merus sive naturalis
qui primos decepit homines? ut Calvi-
13. Labor utrum sit malum, an bonum q
14. Astra regantné homines? Negatur, s
15. Utrum Sermo sive loquendi facultas
ralis? Affir.

16. Ullané certa lingua sit homini à nat
gatur.

17. Quali lingua sint usi primi homines?

18. Utrum Homo verè dictus sit ab hum
& vulgò existimatur: an vero potius a
simul, (eò quòd πολυλῆκὸν φύσιν ζῶον ὁ ἀνθρώπος)
liano, Erasmo, Scaligero utriq;, & forte
sum: inter quos Fabius noster l. i. c. 9
dam propinat illam veterum opinionem
appellatum esse crediderint eò quòd e
quasi verò (inquit) non omnibus anima
go, aut illi primi mortales antè nomen
ræ, quam sibi: Et Just. Scaliger somnium
tur, lib. i. de causis L. Ling. c. 20. At t
ram & genuinam tuebimur etymologi
tate Divinà juxta & humanà, tum ipsius
& origine apertà, quæ est ex Heb. אָדָם
ruffum furvum ac nigricans quid signi
mus est & Homo divinà providentià dic

חַי

אָדָם, adamah: Adam vocatus est.

19. An catalogus annorum Mundi usq;
Bibliis contexti possit? Affir.
20. An secundum literam accipiendus si



1 Sata
rpens,
Neg.
ff.
natu-
? Ne-
pitus
g i. c.
vinti-
us vi-
iden-
inem
atus:
n ori-
e ter-
vere-
t ve-
tori-
entiã
sub-
Hu-
ut ab
folis
Exo-
12.